PRECES
ET
CONIVRATIONES
CONTRA AEREAS
tempeſtates,

Omnibus ſacerdotibus vtiles & neceſſariæ.

Marci 14.

Et exſurgens comminatus eſt vento. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.

Typis Ducalis Monaſterij Campidonenſis.

ANNO M. DC. LXVII.

Per Rudolphum Dreherr.



V
O
ai



tion
gen
Cr
Do
tun
tem

lij
per
om

[o]

VTILISSIMÆ Orationes, & Benedictiones, contra tempestates, tonitrua, fulgura & grandines.

IN Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritûs ✠ sancti.

Deinde cum verâ deuotione & contritione dicas Confeßionem generalem, Orationem Dominicam, & Credo in Deum. Et quando in Oratione Dominica oras: Sed libera nos à malo; *tunc suffla cum ore vnam crucem contra tempestatem, & postea dic:*

Benedictio Dei Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritûs ✠ sancti transeat super hanc tempestatem, & liberet nos omnes Christi fideles, possessiones & ha-

habitationes noſtras ac fructus terræ noſtræ, ab omni tonitruo & grandine, à fulgure & tempeſtate, à peccatis & à malo, Amen.

Et tunc dicatur Euangelium S. Ioannis. Et cùm veneris ad ea verba: Et Verbum caro factum eſt. *vbicunq; Crux ſignata eſt* ✠, *rurſus ſuffla crucem contra tempeſtatem.*

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominũ, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen

men erat Ioannes, hic venit in teſti-
monium, vt teſtimonium perhiberet
de lumine, vt omnes crederent per il-
lum, non erat ille lux, ſed vt teſtimo-
nium perhiberet de lumine. Erat lux
vera, quæ illuminat omnem homi-
nem venientem in hunc mundum.
In mundo erat, & mundus per ipſum
factus eſt, & mundus eum non co-
gnouit. In propria venit, & ſui eum
non receperunt. Quotquot autem re-
ceperunt eum, dedit eis poteſtatem fi-
lios Dei fieri, his qui credunt in no-
mine eius: qui non ex ſanguinibus,
neque ex voluntate carnis, neque ex
voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.
ET VERBVM CARO FACTVM
EST, & habitauit in nobis. Et vidi-
mus gloriam eius, gloriam quaſi vni-
geniti à Patre, plenum gratiæ & veri-
tatis. ℟. Deo gratias.

Per iſtos ſermones, & ſacros ſer-
mones ſancti Euangelij, & per illud

Verbum: *Et Verbum* ✠ *Caro factum est*, indulgeat nobis Dominus noster IESVS Christus vniuersa delicta nostra, & liberet nos omnes Christi fideles, omnes possessiones, & habitationes nostras, & fructus terræ nostræ ab omni tonitruo & grandine, à fulgure & tempestate, à peccatis & malo. Amen, Amen, Amen.

Deinde faciendo crucem cum manu, & etiam stando contra tempestatem trina vice dices.

Iesus Nazarenus ✠ Rex Iudæorum libera nos, omnes Christi fideles, possessiones & habitationes nostras, & fructus terræ nostræ ab omni tonitru & grandine, à fulgure & tempestate, à peccatis & malo. Amen.

Hîc etiam manu & ore signans crucem contra tempestatem, dices:

ECce Crucem ✠ Domini, fugite partes aduersæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, Alleluia, Alleluia.

Deus

Deus noſter, Agyos ✠ Otheos, Agyos ✠ Yſchiros, Agyos ✠ Athanatos, Eleiſon Ymas, ſancte ✠ Deus, ſancte ✠ fortis, ſancte ✠ miſericors & immortalis miſerere nobis, & libera nos à peccatis & malo. Amen, Amen, Amen. Eloy. Eloy. Eloy. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus. Deprecor te, vt clementiſſimè digneris nos omnes Chriſti fideles, poſſeſſiones, habiationes noſtras, ac fructus terræ noſtræ liberare ab hac tempeſtate, ab omni tonitruo, fulgure, & grandine, à peccatis & malo. Amen, Amen, Amen.

Nunc dimitte nos famulos tuos, poſſeſſiones & habitationes noſtras, ac fructus terræ noſtræ Domine in pace,

quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium,& gloriam plebis tuæ Iſraël. Gloria Patri, *&c.*

In modum Crucis extende manus tuas contra nubes, & dic Pater noſter, Aue Maria, Credo, & Orationem ſequentem.

O Domine Ieſu Chriſte, qui cælũ & terram creâſti: Aquas Iordanis benedixiſti, in quibus baptizari voluiſti: manus in cruce extendiſti:& totum mundum redemiſti: benedicere ✠ digneris hanc nubem, quam video ante me poſitam, vt ibi nulla poteſtas dæmonum in ſe ipſo perueniens nocere poſſit, benedicat te Deus Pa✠ter, benedicat te Deus Fi✠lius, benedicat te Deus Spiritus ✠ ſanctus: Diuidat te Deus Pa✠ter, diuidat te Deus Fi✠lius, diuidat te Deus Spiritus ✠ ſanctus: annihilet te Deus Pa✠ter, annihilet te Deus Fi✠lius, annihilet te Deus Spi-

itus ✠ ſanctus. Amen. In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritûs ✠ ancti. Amen.

Quando imminent nubes nociuæ ſiue grando, coniuratio ter dicenda, ſignando illas cum Cruce.

O Nubes, & ô grando coniuro & præcipio tibi per DEVM Pa ✠ trem, per DEVM Fi ✠ lium, er DEVM Spiritum ✠ ſanctum, ui ſunt in ſubſtantia vnus Deus, per otentiam Patris, per ſapientiam Fi- ij: & per amorem Spiritûs ſancti pro- edentis ab vtroque: per ſacram obe- ientiam IESV Chriſti: Per ſacram umilitatem virginis MARIÆ do- ninæ noſtræ: per virtutes Apoſtolo- um: per paſſiones terribiles Marty- um: per nouem choros Spirituum æleſtium: per fidelium & ſacram vi- am Confeſſorum: per omnes mu- ieres, famulas & martyres Chriſti: per omnes animas beatas cæli: per

ſacram obumbrationem, quam fecit virtus Altiſſimi, B. Virgini Dominæ meæ: per imperiale verbum, quod fecit Chriſtus ventis vt ceſſarent: per diuiſionem mirabilem maris rubri, quam fecit potentia Diuina populo Iudæo. Per omnia iſta ſupraſcripta, coniuro & præcipio tibi ô nubes nociua, ſeu grando tempeſtatis, quòd in ſigno huius ſacræ Cru✠cis quam contra te facio, indiuiſa repentè recedas à nobis, & ab hoc loco, ſine læſione alicuius hominis, ſiue loci, ſiue nauis, ſiue iumenti & precoris, ſiue terræ & ædificiorum, & delearis per aërem. Amen.

Contra tonitrua & aëris tempeſtates Oratio Trithemij Abbatis Spanheim. cùm videris nubes nigras, tempeſtatem tonitrua, fulgura & grandinem prænunciantes, ſtans ex aduerſo ita coniurabis.

ADiuro vos grandines, venti & nubes, per Patrem, & Filium

&

& Spiritum ſanctum, Deum vnum, verum & ſanctum omnipotentem, Per tres ſanctiſſimos clauos qui manus & pedes Domini noſtri Ieſu Chriſti confixerunt, & per quatuor ſanctos Euangeliſtas, Matthæum, Lucam, Marcum, & Ioannem, & per omnes Sanctos, vt in aquas quantocius reſolutæ ſine damno, & læſione alicuius creaturæ in terram deſcendatis, In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritûs ✠ ſancti. Amen.



SEQVITVR LITANIA contra tempeſtates. Pſal. 66

DEus miſereatur noſtri & benedicat nobis; illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam; in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus; confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate; & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, *&c.*

PRopitius eſto Domine, Parce nobis Domine.

Propitius eſto Domine, Exaudi nos Domine.

Propitius eſto Domine, Libera nos Domine

Ab indignatione furoris tui,
Ab omni malo,
A flagellis vltionis tuæ,
Ab inſidijs dæmonum & malorum hominum,
} Lib. nos Dñe.

A no-

A noxio fulgure & tempeſtate, Libera nos Domine.
A grandinum læſionibus. Libera.
A coruſcatione & grandine. Libera.
Peccatores. Te rogamus audi nos.

Vt nobis parcas,
Vt miſericordiam tuam nobis hîc & vbique oſtendere digneris,
Vt iram & indignationem tuam à nobis & à cunctis Chriſtianis auertere digneris,
Vt fructus terræ dare & conſeruare digneris,
Vt fulgura & tempeſtates, tonitrua, grandines, & aquarum inundationes per tuam miſericordiam propitius repellere digneris,
Vt nos miſeros audire & exaudire digneris,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.

Crux ✠ Chriſti, ſit nobis in refugium.

Crux ✠ Chriſti, ſit nobis ſalus & protectio.

Crux ✠ Chriſti, quam ſemper adoramus, tu dignare nobiſcum eſſe ſemper, & nos cuſtodire, regere, gubernare, & defendere contra noxias tempeſtates & contra inſidias ac infeſtationes dæmonum & omnium inimicorum digneris. Te rogamus audi nos.

Hely, Hely, Domine mi, imploro te, vt regnes in me, diligam te, inſtrue me Ieſu magne Dei agne, tu dignare te laudare, tu dignare nos ſaluare ô Rex gloriæ. Veni cum pace. Amen.

Qui cælorum contines thronos, Domine Rex regum, montes ponderas,

ras, terram palmo concludis, Exaudi nos Deus in gemitibus noſtris.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Aue Maria. Credo.

℣. Et veniat ſuper nos miſericordia tua.

℟. Quemadmodum ſperauimus in te.

℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.

℟. Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

℣. Ad-

℣. Adiuua DEVS nos ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos & propitius eſto peccatis noſtris.

℣. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

℟. Et rege eos, & extolle illos vſque in æternum.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟ Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperauimus in te.

℣. Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ.

℟. Vidit & commota eſt terra.

℣. Domine Deus virtutum conuerte nos.

℟. Et oſtende faciem tuam & ſalui erimus.

℣. Mitte nobis Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Syon tuere eos.

℣. Cuſtodi nos Domine vt pupillam oculi.

℟. Sub vmbra alarũ tuarum protege nos.

℣. Miſerere noſtri Domine.

℟. Miſerere noſtri.

℣. Non nobis Domine non nobis.

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Dñe exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

DOmine Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſuper omnia regnas, qui Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in hunc mundum pro ſalute noſtrâ mittere dignatus es. Effunde benedictionem

nem de cœlis ſuper nos indignos famulos, & ſuper loca noſtra contra fulgura & grandines & aëreas poteſtates, vt eas tua miſericordia demergat, & ventorum flamen in profundum deſertum: vt hominibus nihil noceant, ſed abſque vaſtitate tranquillus nobis aër reddatur, quatenus de plenitudine miſerationis tuæ gaudere: & tibi omnipotenti Deo indefeſſas gratias ſemper agere valeamus. Per eundem Dominum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Initium ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

℟. Gloria tibi Domine.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam & fratres eius, Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, Phares au-

tem genuit Eſron, Eſron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naaſon, Naaſon autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Boos de Raab, Boos autem genuit Obeth ex Ruth, Obeth autem genuit Ieſſe, Ieſſe autem genuit Dauid regem, Dauid autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Vriæ, Salomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Aſa, Aſa autem genuit Ioſaphat, Ioſaphat autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Ioathan, Ioathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam, Ezechias autem genuit Manaſſen; Manaſſes autem genuit Amon, Amon autem genuit Ioſiam, Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigra-

gra-

grationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem geneuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim, Eliacim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoch, Sadoch autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. ℟. Deo gratias.

Et dicatur.

Per iſtos ſermones ſancti Euangelij, & per interceſſionem glorioſiſſimæ Dei genitricis virginis Mariæ, ac per ſuffragia omnium Sanctorum, Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur nos cuſtodire à ſubitaneâ & improuisâ morte, à fulgure & tempeſtate, atque ab omnibus malis & periculis. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto, *&c.*

Ky-

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

A fulgure & tempeſtate,
Libera nos Domine.

A coruſcationibus,
Libera nos Domine.

A grandine & omnibus l[illegible]ionibus,
Libra nos Domine.

Ab omni malo,
Libera nos Domine.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperauimus in te.

℣ Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Dñe exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

ORA-

ORATIO.

A Domo tua quæſumus Domine ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Te deprecamur Domine, vt diabolum & omnes angelos eius ab iſtâ Parochiâ & omnibus habitationibus noſtris tuâ potentiſſimâ maieſtate repellas, & nos benigniſſimâ miſericordiâ tuâ ab imminentibus & futuris periculis defendas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſęcula ſæculorũ. ℟. Amen.

ORATIO.

RESpice quæſumus Domine ſuper nos, & ſuper vniuerſum populum tuum, & exaudi preces noſtras, conſerua iuſtos, & parce peccatoribus, iuſtifica pœnitentes, ſana languidos, viſita infirmos, ſubueni egenis, corrige errantes, eripe oppreſſos, conſolare

affli-

afflictos, vt omnes in ſuis neceſſitatibus Maieſtatem tuam obſecrantes, miſericordiam conſequantur.

ORATIO.

QVæſumus omnipotens DEVS, vt interceſſio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum Apoſtolorum N. N. ac Martyrum N. N. & Confeſſorum N. N. atque Virginum N. N. omniumq́ue Sanctorum tuorum, continuum præſtent nobis auxilium, vt nobis tranquillum aërem tribuas, atque contra fulgura & tempeſtates cœleſte munimen exhibeas. Deſuper nobis indignis tuam ſalutem effundas de cœlis, & dexterâ tuæ potentiæ aëreas conteras poteſtates. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℞. Amen.

COLLECTA DE SANCTA Trinitate.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſio-

fessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentiâ maieſtatis adorare vnitatem, quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Christum, &c. ℟. Amen.

ACCIPE AQVAM BENEDIctam, & aſperge & dic.

ET benedictio Dei Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spi ✠ ritus ſancti, deſcendat ſuper nos & ſuper fines, vineas, agros, & fructus noſtros, Amen.

Euangelium 2.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Initium ſancti Euangelij ſecundùm Marcum.

INitium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta. Ecce ego mitto Angelũ meum ante faciem tuam. Qui præparabit viam tuam ante te, vox clamantis in deſer-

deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Fuit in deserto Ioannes baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudeæ regio. & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine confitentes peccata sua: Et erat Ioannes vestitus pilis camelorum & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel siluestre edebat & prædicabat dicens; Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos in aquâ, ille verò baptizabit vos spiritu sancto. Deo gratias.

Reliqua omnia vt supra post 1. Euangelium.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, mœstorum consolatio, labo-

rantium fortitudo perueniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, vt omnes sibi in necessitatibus suis misericordiã tuã gaudeant affuisse. Per Dominum nostrum.

DEus qui naturam omnium rerũ tibi seruientium per ipsius aëris motus ad cultum tuæ Maiestatis instituisti, tranquillitatem aëris nobis tribue, remotísque terroribus vniuersis misericordiæ tuæ largire clementiam, vt cuius iram expauemus, eius misericordiam sentiamus. Per Dñm.

Et addatur Collect. de S. Trinitate, & benedictio Dei Patris, &c. fol. 27.

Sequitur Euangelium 3.

℣. Dominus vobiscum.

Initium sancti Euangelij secundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

FVit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias,

rias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabet, erant autem iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela, & non erat illis filius, eò quod eſſet Elizabet ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine vicis ſuæ ante Deum ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt, vt incenſum poneret ingreſſus in Templū Domini. Et erat omnis multitudo populi orans foris horâ incenſi, Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris Altaris incenſi, & Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua. Et vxor tua Elizabet pariet tibi filium, & vocabis nomen

eius Ioannem, & erit tibi gaudium & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios & incredulos ad prudentiam iustorum parare Domino plebem perfectam.

℟. Deo gratias. Per istos sermones.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

A Domo tua & à nobis famulis tuis & ab omnibus nobis commissis, à plebe & parochia ista, à fructibus & ab animalibus nostris, & cuncto populo Christiano, quæsumus

Do-

Domine omnes ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Et fructus terræ nobis dare & conſeruare digneris, & aëris ſcrenitatem nobis tribue ſupplicantibus, vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordiâ tuâ præueniente clementiam ſentiamus. Per Dominum noſtrum, &c.

De SS. Trinitate.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentiâ maieſtatis adorare vnitatem; quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum.

ET benedictio Dei Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spi ✠ ritûs ſancti, deſcendat ſuper nos & ſuper fines, vineas, agros, & fructus noſtros, Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominũ, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum, non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

In

In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis: neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

℟. Deo gratias.

Per iſtos ſermones, & ſacros ſermones ſancti Euangelij, & per illud verbum: *Et Verbum* ✠ *caro factum eſt*, indulgeat nobis Dominus noſter IESVS Chriſtus vniuerſa delicta noſtra, & liberet nos omnes Chriſti fideles, omnes poſſeſſiones, & habitationes noſtras, & fructus terræ noſtræ

ab omni tonitruo & grandine, à fulgure & tempeſtate, à peccatis & malo. Amen, Amen, Amen.

IESVS NAZARENVS ✠ REX IVDÆORVM, libera nos omnes Chriſti fideles,& poſſeſſiones & habitationes noſtras, & fructus terræ noſtræ ab omni tonitru & grandine, à ſulgure & tempeſtate, à peccatis & malo. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab eâ longè repelle, Angeli tui ſancti habitent in eâ, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio † tua ſit ſuper nos ſemper. Per te ô Ieſu Chriſte Saluator mundi, Amen.

OMnipotens ſempiterne DEVS, Te ſupplices deprecamur, vt no

per

per te cæleſtem Patrem illuſtari, ac muniri concedas, ſintque oculi tui aperti ſuper nos & ſuper vniuerſum populum tuum. Et exaudi propitius preces noſtas, & dirige ſanctum Angelũ tuum de cælis, qui nos, poſſeſſioneſque noſtras foueat, protegat, & ab aëris tempeſtate defendat. Per Chriſtum.

Collecta de 14. Auxiliatoribus.

OMnipotens & miſericors Deus, qui electos & ſanctos tuos Georgium, Blaſium, Eraſmũ, Panthaleonem, Chriſtophorum, Dionyſium, Cyriacum, Achatium, Euſtachium, Ægidium, Catharinam, Margaritã, Barbaram ſpecialibus priuilegijs decoraſti: Concede propitius, vt omnes, qui in neceſſitatibus ſuis eorũ implorant auxilium, ſecundũ tuæ promiſſionis gratiam petitionis ſuæ ſalutarẽ conſequantur effectum. Per Dñm.

Collecta de SS. Trinitate, fol. 27.

SEQVITVR ALIA BENEDI-ctio contra tempestates. Et notandum, cùm videtur aura immoderatè leuari, proiiciat Sacerdos contra illam aquam benedictam ac dicat septem hos Psalmos sequentes.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit: & in cathedrâ pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini volũtas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignũ, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcunq; faciet, prosperabuntur.

Non sic impij non sic: sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Ideo non resugent impij in iudicio,

cio, neque peccatores in consilio iustorum, & iter impiorum peribit.

Gloria Patri, & Filio.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula: & operatur iustitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum: & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo suo & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, non mouebitur in

æternum. Gloria Patri, & Filio.

Psalmus.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua libera me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus eſt ſuſceptor animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos.

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria Patri.

Psalmus.

DEVS

DEVS in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Conuertantur retrorsum & erubescant qui volunt mihi mala.

Conuertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum, Deus adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne morêris.

Gloria Patri, &c. *Psalmus.*

FVndamenta eius in mõtibus sanctis: diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis, ſcientium me.

Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Nunquid Syon dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum; horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium, habitatio eſt in te.

Gloria Patri. &c.

DOminus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem & præcinxit ſe.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

Parata ſedes tua ex tunc, à ſæculo tu es.

Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam.

Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Dn̄e in longitudinem dierũ.

Gloria Patri, &c.

BEati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.

Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Syon, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.

Gloria Patri.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

℟. Et rege eos & extolle illos vſque in æternum.

℣. Vox Domini ſuper iuſtos.

℟. Et aures eius in preces eorum.

℣. Deus meus eripe me de manu peccatoris.

℟. Et de manu contra legem agentis, & iniqui. ℣. Non

℣. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

℟. Domine virtutum beatus homo qui ſperant in te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

REx æterni imperij omnipotens Deus, qui das eſcam omni carni, qui operis cælum nubibus, & paras terræ pluuiam, & ianuas cæli aperis, qui transfers auſtrum de cælo, & inducis virtute tuâ affricum, qui rigas montes de ſuperioribus ſuis, & de fructu operum tuorum ſatiabitur terra, qui Angelo præcepiſti, vt terræ mari, arboribus ne noceret, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, te etenim Domine ſupplices exoramus,

vt

vt procul recedat incursio turbinum, calamitas tempestatum, fragor grandinum, percussio fulminum, & quælibet insidiæ inimici temperentur. Infesta tonitrua, noxiæ pluuiæ, ventorum flamina moderatè flent; spiritus quoque procellarum aëreæ tempestates dexteræ tuæ virtute prosternantur. Descendat quæsumus Domine desuper Spiritus sanctus, vt fugatis omnibus contrariis, præteritis virtutibus, fruges manus seruet Angelica, & post sopitos imbrium impetus, in laudibus spiritualibus, & deuotionis augmentum transeat comminatio prauitatis. Qui viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DOmine Iesu Christe, qui cælum & terram creasti & operari voluisti, & flumen Iordanis benedixisti, bene✠dicere & sancti✠ficare digne-

gneris has nubes, quas video, vt deficiant & transeant in aquam benedictam, vt ibi allegata potestas dæmonum sæuientium deficiat. Cadátque tempestas in locis desertis, vbi non noceat aliquibus Christianis, nec aliquibus animalibus, per virtutem Spiritus sancti, & merita beatissimæ virginis Mariæ, sancti Simeonis, ac sanctæ Barbaræ, sanctæ Catharinæ & Brigittæ virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum DEI orationes. Circumdet te Deus Pa✠ter. Circumdet te Fi✠lius. Circumdet te Spiritus ✠ sanctus. Diuidat te Pa✠ter. Diuidat te Fi✠lius. Diuidat te Spiritus ✠ sanctus, qui viuis & regnat Deus sempiternus, Amen.

Hanc coniurationem dic ter:

COniuro vos ô maligni spiritus per Creatorem cæli & terræ, & per Incarnationem, Natiuitatẽ, Circum-

cumcisionem, apparitionem, baptismum, ieiunium, passionem, crucẽ, mortem, resurrectionem, ascensionem Domini nostri IESV Christi, & gratiam Spiritûs sancti Paracleti, & per tremendum iudicium Dei, & per gloriosam Virginem Mariam Matrem Dei, & per sanctos Angelos & Archangelos, Virtutes & Potestates, Prophetas, Apostolos, & Euangelistas Dei, vt non deponatis iram vestram super locum istum, nec in finibus istis, sed in mari vel in aquis aut locis siluestribus procul à gentibus, vt in die iudicij non habeatis licentiam dicere, Nemo nobis contradixit: Ego vero vobis contradico, In Nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti, Amen.

Alia Coniuratio contra tempestates.

ADiuro vos grandines & ventos, per

per ſancta quinq; vulnera Chriſti, & ſanguinem ipſius pretioſum, per clauos quinque, qui manus eius & pedes perforauerunt: & per quatuor Euangeliſtas ſanctos, Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, vt in aquam reſoluti deſcendatis. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus✠ſancti, Amen.

Deinde dic quinq; Pater noſter, &c. & ſubiunge Euangelium S. Ioannis, in cuius fine ter replicetur illud. Et verbum Caro ✠ factum ✠ eſt, ✠ & per Euangelica dicta, fugiat tempeſtas iſta, Amen *Dic ter*,

Tetragrammathon ✠ Ieſus ✠ Nazarenus ✠, Rex ✠ Iudæorum. *Et* ✠ Ieſus per medium illorum ibat. ✠ Qualis Pater, ✠ talis Filius, ✠ talis Spiritus S. Increatus Pa✠ter, increatus Fi✠lius, increatus Spiritus ✠S. Immenſus Pa✠ter, immen-

ſus

ſus Fi✠lius, immenſus Spiritus ✠ ſanctus. Æternus Pa✠ter, æternus Fi✠lius, æternus Spiritus ✠ ſanctus.

Aliæ coniurationes contra tempeſtates.

Coniuro vos omnes maligni ſpiritus, qui cum tonitruis, turbine & tempeſtate & grandine, per iſta inceditis: Per Creatorem cæli & terræ, ✠ & per paſſionem Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti, ✠ mortem amariſſimam, ✠ & per ſignum ſanctæ Crucis, ✠ & in virtute Spiritûs ſancti, ✠ per glorioſam Matrem DEI Domini noſtri IESV Chriſti Virginem Mariam, per Cherubim & Seraphim, per Archangelos & omnes Angelos Dei.

Coniuro vos per quatuor Euangeliſtas Ioannem, Matthæum, Lucam, Marcum, & duodecim Apoſtolos. Per Dei noſtri Martyres, Confeſſores,

Virgines, Viduas & fideles Coniuges.

Coniuro vos per viginti quatuor ſeniores, & per nomina millia Martyrum, & per omnes ſanctos & ſanctas Dei, ne deponatis iram veſtram neque oſtendatis ſuper locum iſtum, ſiue in agris aut campis noſtris, ſiue lacubus aut fluminibus noſtris, ſed potiùs in montes ſteriles & loca inacceſſa: ne habeatis excuſationes in die nouiſſimo, ſcilicet, quod nemo vobis contradixerit. Igitur ego N. contradico vobis, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus✠ſancti, Amen. A fulgure & tempeſtate, Libera nos Domine Ieſu Chriſte, Amen.

Oratio. A domo tua *&c. f.* 26.

Contra tempeſtates & maleficiorum incurſus.

SIgnum ſanctæ Cru✠cis Chriſti Sal-

Saluatoris nostri, tolle imbres nociuos, tolle grandines & da aquam lucidissimam, tanquam eam, in qua Christus baptizatus fuit, in sacro Iordanis flumine. Et memento nostri Domine, sicut iurasti patribus nostris Abraham, Isaac & Iacob, vt non permittas iram tuam super agros & fines nostros. Adiuro vos Angelos tartareos, quos DEVS deiecit de sede Maiestatis suæ, qui fertis grandines & tempestates. Adiuro vos per Patrem omnipotentem Dñm nostrum & regnum eius. Adiuro vos per quatuor Euangelia, & per tremendum iudicium Dei, & obedientiam Dei, vt inter postes, fines, vineas & agros lapides non iaciatis, sed per deserta & arida loca, vbi non aratur nec seritur, nec vllum nomen Dei vocatur. Ne ipsi ad iudicium Dei ante tribunal Christi venientes dicatis, nullus

nobis contradixit. Contradicat vobis Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt omnipotens, Agyos, Agyos, Agyos. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Christus, Chriſtus, Chriſtus. *Pater noſter. Aue Maria, &c.*

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℞. Et ſalutare tuum da nobis.

Qui regis Iſrael, intende & defende ſubditorum fines, vineas, & agros.

Sancte Quirine, Sancte Clemens, & omnes ſancti Martyres, quibus honor datur in gloria Saluatoris defendite fines, agros & fructus noſtros, vt de infeſtationibus inimicorum liberati, ad maturitatem in Eccleſia ſancta perueniant, horreiſque noſtris incluſi, vt peregrini & pauperes inde reficiantur: Vobiſcum benedicamus Pa ✠ trem, & Fi ✠ lium, & Spiritum ✠ ſan-

✠ ſanctum, qui in Trinitate & vnitate eſt benedictus Deus in donis ſuis, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Euangelij ſecundũ Ioannem, &c.

In principio erat, &c. *vt fol.* 28.

Deo gratias. Per iſtos ſermones ſancti Euangelij, & per Dei magnam miſericordiam, & per interceſſionem ſanctiſſimæ Genitricis Dei Mariæ, & per ſuffragia ſancti Andreæ Apoſtoli, & omnium Sanctorum indulgeat nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus vniuerſa delicta, crimina, peccata noſtra & bene † dicere, protegere, & cuſtodire dignetur nos in omnibus poſſeſſionibus noſtris, & ab omni vi tempeſtatis, & grandinis læſione, & ab omni infeſtatione diabolicæ fraudis, nec nõ à cunctis periculis animarum & corporum, Amen.

ORE-

OREMVS.

TE Domine ſupplices deprecamur, vt diabolum & omnes angelos eius ab iſta Parochia & ab omnibus noſtris habitationibus tua potentiſſima Maieſtate repellas, & nos benigniſſima miſericordia ab imminẽtibus periculis defendas. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

OREMVS

DIrigere dignare Domine Deus Pater omnipotens, ſanctum Angelum tuum de cælis, qui poſſeſſiones noſtras foueat, protegat, & contra aëreas tempeſtates defendas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum. Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Amen. Chriſtus vincit in pace, & habitabit in nobis. Chriſtus † vincit, Chriſtus † regnat, Chriſtus † imperat, Chriſtus ab omni

fulgure & tempestate protegat, In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, Amen.

PAssio Domini nostri Iesu Christi, pura virginitas gloriosæ genitricis Dei Mariæ, & intercessio Sanctorum omnium sit inter nos & imbrem istum. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, Amen. Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti defendat nos & fructus terræ, & maneat semper, Amen.

℟. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram

ORΕMVS.

DEus, sub cuius imperio, totum verbo regitur, totum oratione mutatur: parce metuentibus, propitiare supplicibus, vt post noxios ignes nubium, & turbines procellarum, in materiam laudis transeat commina-

tio

tio poteſtatis. Per Dominum noſtrum &c.

OREMVS.

DOmine Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſuper omnia regnas: qui filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in hunc mundum pro ſalute noſtra mittere dignatus es: effunde benedictionem tuam de cælis ſuper locum iſtum: contra fulgura, grandines, aëreaſque poteſtates, vt eas tua miſericordia demergat ventorum flamine in profundum deſertum: vt hominibus nihil noceant, ſed abſque vlla vaſtitate tranquillus aër nobis permaneat: quatenus de plenitudine miſerationis tuæ gaudentes, nos tibi omnipotenti DEO, immenſas gratias ſemper agamus: Qui viuis & regnas Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

OREMVS.

QVæſumus, omnipotens Deus, vt interceſſione ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarũ, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Viduarum, atque omnium Sanctorum tuorum, continuum nobis præſtes ſubſidium. Petimus humiliter clementiam tuam, vt nobis tranquillam auram permanere permittas, atque contra fulgura & tempeſtates, deſuper nobis indignis tuam ſalutem effundas de cælis, generi humano ſemper æmulas, dextera potentiæ tuæ, aëreas conteras poteſtates. Per Dominum noſtrum *&c.*

A Domo tua, quæſumus Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

ORE-

OREMVS.

DEus, qui omnium rerum tibi ſeruientium naturam, per ipſos motus aëris, ad cultum tuæ maieſtatis inſtituis: tranquillitatem nobis tuæ miſericordiæ, remotis aëris terroribus, permanere permittas: vt cuius iram expauemus clementiam ſentiamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum &c.

℣. Sit nomen Dñi benedictum.

℟. Ex hoc, nunc, & vſq; in ſæculum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

OREMVS.

BEnedictio Dei ✠ Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper vos, & fructus terræ, & maneat ſemper. Amen.

ALIA

ALIA BENEDICTIO.

IN honorem ſanctiſſimæ Trinitatis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti. Chriſtus ✠ Rex, venit in pace, & Deus ✠ homo factus eſt. In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis; ideo Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Adeſto Deus vnus omnipotens Pa ✠ ter, & Fi ✠ lius, & Spiritus ✠ ſanctus. Benedic ✠ Domine creaturam iſtam aquæ per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc omnia Domine ſemper bona ✠ creas, ſancti ✠ ficas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præſtas nobis per ✠ ipſum, cum ✠ ipſo, & in ✠ ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti

cti omnis honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Vade ✠ retrò sathana, recognosce familiam tuam, da honorem Deo viuo, & vero, da honorem Iesu Christo Filio eius, da honorem Spiritui S., & recede à nobis famulis, & possessionibus nostris, quos Dominus & Deus noster ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptismatis, & sacerdotalem dignitatem vocare dignatus est, & hoc signum ✠ Crucis, quod ego tibi oppono maledicte diabole, nunquam audeas violare, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Crux ✠ Christi in adiutorium sit; Crux ✠ Christi esse dignetur in adiutorium nostrum; Crux ✠ Christi

 Iesu

Iesu Domini nostri in auxilio semper sit salus noster ; Crux ✠ Christi, quam semper adorauimus , tu dignare nobiscum esse contra inimicos nostros.

A noxia tempestate & fulgure ,
A grandinum læsionibus ,
Ab indignatione furoris tui ,
A flagella vltionis tuæ ,
Per sanctam Natiuitatem tuā ,
Per Crucem & Passionem tuā ,
Per pretiosum sanguinem tuū ,
Per quinque vulnera tua,
Per mortem & sepulturam tuā ,
Per sanctam resurrectionem tuam ,

} Libera nos Domine.

Te ergo quæsumus , tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti. Christus vincit , Christus regnat, Christus imperat, Christus à fulgure & tempestate nos defendat. Christus rex in pace venit. Deus homo factus est.

Ver-

Verbum caro factum eſt. Ieſus, Maria, Ioſeph. Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum, miſerere nobis. Chriſtus nobiſcum. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis.

Ad ſingula verba ſequentia fac Crucem.

Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit Leo de tribu Iuda, & radix Dauid, Alleluia, Alleluia, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum.

✠ Agyos Otheos ✠ Sanctus Deus.

✠ Agyos Iſchyros ✠ ſanctus fortis.

✠ Agyos Athanatos ✠ ſanctus immortalis.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Increatus Pater increatus Filius, increatus Spiritus

ſanctus. Chriſtus Ieſus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus à fulgure, & tempeſtate nos defendat. Chriſtus Ieſus Filius Dei viui per ſuam miſericordiam liberet nos ab omnibus immundis ſpiritibus, qui venit de cælis, & incarnatus eſt in vtero B. V. Mariæ cauſa ſalutis hominum, & eijciendum diabolum, & omnem malignum ſpiritum in profundum inferni, & abyſſi. Titulus triumphalis ✠ Ieſus ✠ Nazarenus ✠ Rex ✠ Iudæorum ✠ defendat nos ab omnibus malis. Ecce crucem Domini fugite partes aduerſæ, vicit Leo de Tribu Iuda, Radix Dauid.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuũ ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus Gentibus ſalutare tuum.

Con-

Confiteantur tibi populi Deus: cõfiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent Gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: cofiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, *&c.*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *&c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac ſeruos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non noceat nobis

℣. Domine à fulgure & tempeſtate libera nos.

℟. Propter nomen tuum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Er clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne DEVS, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, & mitte ſanctum Angelum tuum de cælis, qui nos, & poſſeſſiones noſtras cuſtodiat ✠, foueat ✠,

ueat ✠, protegat ✠, vſitet ✠ & defendat, vt poſt varios motus, & procellarum vim in materia tuæ laudis transſeat comminatio tuæ poteſtatis.

HEli Domine imploro te, vt regas me; diligo te, inſtrue me, Ieſu magne, Ieſu agne, dignare me, laudare te, ô Rex gloriæ veni cum pace, & recordare teſtamenti tui, & dic angelo percutienti, ceſſet iam manus tua, vt non deſoletur terra, & ne perdas omnem animam viuam, quieſcat Domine ira tua à populo tuo.

SVb tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, Domina noſtra; Mediatrix noſtra, Aduocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia; tuo Filio nos recommenda, tuo Filio nos repræſenta.

ORE-

OREMVS.

DEfende quæſumus Domine Ieſu Chriſte Fili DEI viui propitius precibus Beatæ Mariæ Virginis iſtam ab omni aduerſitate familiam, & tibi toto corde proſtratam ab omnibus tuere clementer inſidijs. Et per eiuſdem Virginis interceſſionem à domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Chriſtum Dñm noſtrum. Amen.

Addi poteſt Pſal. Qui habitat in adiutorio, *&c. & Euang. S. Ioannis*, In principio *&c. fol.* 28. *&* Symbolum S. Athanaſij, *&c.*

CIrcumdet te ô nubes Deus Pa ✠ ter, circumdet te Deus + Filius, circumdat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Deſtruat te Deus Pa ✠ ter, deſtruat te Deus Fi ✠ lius, deſtruat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Comprimat te

Deus

Deus Pa ✠ ter, comprimat te Deus Fi ✠ lius, comprimat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Et ego peccator, & Chriſti ſacerdos licet indignus, authoritate & virtute eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſummi imperatoris, non mea innixus potentia & confiſus, vobis præcipuo immundi ſpiritus, qui has nubes concitatis, vel nebulas, in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, per Incarnationem ✠, per eiuſdem Natiuitatem ✠, per Baptiſmum & Ieiunium ipſius, per eiuſdem ſacratiſſimã ✠ Crucem; per Paſſionem, per ſanctã Reſurrectionem ✠, per admirabilem Aſcenſionem, per tremendum Aduentum eius ad iudicium, per merita intemeratæ Virginis Mariæ, & SS. N. N. & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis, quatenus nocere non poſſitis, quibuſcunque rebus humanis vſibus deputatis.

Per eundem Dominum noſtrum Ie-ſum Chriſtum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Ipſe vobis imperat dæmones, qui ſuas nubes mouetis, de quo de nube lucida dictum eſt : Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ; ipſe vobis imperat, qui per virtutem ✠ propriam omnem mundum redemit ; ipſe vobis imperat, qui ſua ſacratiſſima Cruce, & ſui corporis ſanctiſſima extenſione aërem ✠ purgauit ; ipſe vobis imperat, qui per mortem ſuam vos, patremq́ue veſtrum, mortemq́ue deuicit, & ligauit, atque æternæ gehennæ mancipauit ignibus ✠ ; ipſe vobis imperat, qui inferno ſpoliato à mortuis ✠ reſurrexit, ipſe vobis imperat, qui poſt 40. dies nube ſuſceptus, ſua virtute aſcendit in ✠ cælum ; ipſe vobis imperat, qui venturus eſt iudicare viuos &

mor-

mortuos,& sæculum per ignem. Adiuro vos per ipsum ✠, vt in loco isto & parochia nostra; neque per aquam malignam, neque per glaciem, neque per tempestatem validam, neque per murmurationem incantantium nocere valeatis neque lædere; Vade retrò Sathana de loco Dei, & Ministrorum eius, & à sanctuario eius. Signo vos nubes signo sanctæ ✠ Crucis, signo vos in nomine sanctissimæ ✠ Trinitatis contra tempestatem, & maleficiorum incursum signo Domini nostri Iesu ✠ Christi Saluatoris. Tolle imbres noxios, tolle grandines, & da aquam limpidissimam, tanquam Christus baptizatns est in sacro sancto Iordanis flumine, Memento nostri Domine, sicut iurasti Patribus nostris Abraham, Isaac, & Iacob & non permittas iram tuam super agros & fines nostros.

Adiuro vos ✠ angeli tartarei, quos Deus deiecit de ſede Maieſtatis ſuæ, qui fertis grandinem & tempeſtatem. Adiuro vos per Pa ✠ trem omnipotentem, & per nomen æternum eius. Adiuro vos ✠ per tremendum iudicium, & terribilem diem iudicij, vt infra fines hos ſcriptos non iaciatis lapides, ſed ite per deſerta loca, & arida; vbi non aratur, nec ſeminatur, nec vllum nomen Dei viui inuocatur; nec quando in iudicio Dei ante Tribunal Chriſti veneritis, & dicatis, nullus nobis contradixit, nec coniurauit Contradicat vobis Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt omnipotens.

Adiuro vos ✠ angeli ſathanæ per Deum ✠ cæli & terræ, per ✠ Deum, qui primum hominem Adam plaſmauit, per ✠ eum, qui Noë in diluuio cuſtodiuit, Per ✠ ipſum vos adiuro,

iuro, qui Ananiam, Azariam, Misaelem in camino ignis saluauit, qui fidelem Heliam in curru in igneo vsque ad cælum eleuauit; per ipsum ✠ vos adiuro, qui per Moysen seruum suum filios Israel per mare Rubrum duxit; per ipsum ✠ vos adiuro, qui per virtutem propriam & brachium extensum pretioso sanguine omnem mundum redemit, vt in isto loco, & in ista parochia neque per tempestatem, neque per aquâ malignam hominibus Dei nocere possitis. Adiuro vos ✠ per quatuor Euangelistas SS. Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, qui Christi Euangelium per quatuor mundi partes diuulgarunt, vt ipsi suis meritis hanc tempestatem à termino isto, & ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro Iesu Christo remoueri obtineant, & depelli, qui venturus est iudica-

dicare viuos & mortuos , & ſeculum per ignem.

OREMVS.

DOmine Ieſu Chriſte, in cuius ditione cuncta ſunt poſita , & cui omnis poteſtas ſubiecta eſt, qui feciſti cælum & terram, maria, & omnia, quæ in eis ſunt, quique flumina Iordanis benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus & brachia ſanctiſſima in ✠ Cruce extendiſti , quibus aërem ſanctificaſti, obſecramus immenſam pietatis & bonitatis abundantiam, quatenus has nubes , quas ante me, & poſt me , & ſuper me, à dextris & ſiniſtris video aërem perturbare, diſſoluere & annihilare digneris , vt per ſignum ſanctæ ✠ Crucis Saluatoris Domini noſtri IESV Chriſti hæc aura & tempeſtas nobis aduerſa à territorio iſto diſcedat, neminem lædant, fulmina de-

deleat, imbremq́ue ſalubrem emittat, fructus terræ germinare faciat, atque populus Chriſtianus ex eo viuit ad laudem ſanctiſſimi Nominis tui, & potentiſſimæ maieſtatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, glorioſæq́ue Virginis Mariæ: & omnium Sanctorum in perpetuum laudetur per te IESV Chriſte, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pro grandine, & omnium malorum ſpirituum inſidijs, ad gloriam, laudem & honorem Nominis tui, & vtilitatem populi tui ſit benedictio
Dei Pa✠tris, & Fi✠lij, &
Spiritus ✠ ſancti,
Amen. Amen. Amen.

F I N I S.